
VITAE S. PANCRATII MARTYRIS

Libri Duo.

AVCTORE HENRICO CHIFELLIO
I.V.D. ANTVERPIENSI.

MVM MVM
AD ILL. ET REV. D. D.

DON LVDOVICVM
DE TORRES
TT. S. PANCRATII
S.R.E. CARD. MONTISREGALIS,
S. SED. APOST. BIBLIOTHECAR.



ROMÆ, Apud Stephanum Paulinum. MDCVII.
Superiorum Permissu.

ILL.MO AC REV.MO D. D.

DON LVDOVICO
DE TORRES
TIT. S. PANCRATII
S.R.E. CARD. MONTISREGALIS.

Henricus Chifellius S. P. D.


Ccipe, CARDINALIS AMPLISSIME, poema tibi iure debitum, promissũ, compositum. Illius, cui tam splendido apparatu, structura tam regia, tam immensæ molis templa constituis, vitã necemq. describi, tibi gratum ambigere non potui. Quòd hucusq. progressus sit audax animus, benignitati tuæ tribues, ipsa vultus serenitate nõ ad hoc inuitante modò, sed impellente. Neq. tamẽ temeritatis pœnas recuso, vtinamq. ea sufficiat, qua perpetui carceris loco in illa tantis à te sumptibus congesta Montisregalis bibliotheca detinendũ iudicetur! dulci profectò pœna plexum putem.

Sed quid carcerem dico augustissimum illud scientiarum omnium domicilium? quid pœnam voco quam præcellētis gratiæ, fauoris eximij, amplissimi honoris nomine deceat prædicare? Florent in ea, vigent ac triumphant tot sæculorum labores, tot monumenta veterum, tot præclarissimorum ingeniorum fœcundi partus temporum iniuria iam penè extincti, nec alibi fortasse terrarum reperiendi. Nihil certè nihil est in quo non eluceat magnanimitas tua, in quo non clarè videatur publica orbis vniuersi desiderata, & procurata vtilitas, in quo non erumpat ardentissima pietas, in quo non manifestissimè celebranda appareat admiranda benignitas. Qua vti soles munus hoc meum qualecunq. sit excipias rogo. Vale.

VITAE S. PANCRATII MARTYRIS.

Liber Prior.



RANDIA magnanimi teneris firmata ſub annis
Robora; & aduerſis multùm pulſata procellis
Inconcuſſa tamen, niſuq. obnixa virili
Auſpicor. Ille tuos immenſa per æquora curſus,
Calliope, tua vela reget: patet ecce quietæ
Trames aquæ, ſolitæq. manent veſtigia cymbæ,
Non imis excita vadis reſonantia ponto
Murmura, non Schyticis Boreas glacialis ab oris
Aſsuetum turbabit iter: quin ipſa furentes
Scylla vorax ſuccincta canes latrantia preſsat
Guttura, criſtatoſq. vetat ſorbere dracones;
Tuq. etiam vaſti domitor Neptune profundi
Æolias hyemes tempeſtateſq. ſonoras.
Imperio minitante premis, magniq. potentes,

Cui nitor, LVDOVICI animos,& clara vereris
Stemmata, & augusto radiantia lumina vultu.
Iam Martis strepitu, belli terrore fugato,
Vndiq.tranquillis iam per tot sæcula rebus,
Florebant in pace Phryges, placidoq.meabat
Flumine, sanguineas nec propellebat in æquor
Xanthus aquas, Simoisq. altæ de montibus Idæ
Irriguos grato perlabens murmure campos
Ibat ouans, veteresq. diu desueta labores
Arua, licet cupidi, superabant vota coloni.
Florebat longè ante alios ditissimus agris,
Diues opum, fuluo diues Cledonius auro:
Ter fęlix si sæcli huius peritura bearent
Gaudia, sed sancto foelix ante omnia nato:
Cùm placitis inimica bonis consortia vitæ
Dirimit, & medios abrumpit coniugis annos
Parca ferox: Ille extremo iam proximus æuo
Solatur moestam puero ludente senectam:
Cum tandē leuibus (neq.enim grauioris egebat)
Natura afflictatà malis obsistere morbo
Nescit. & ambiguo vires discrimine nutant:
Fratrem ad se natumq. vocat dein voce refractā
Fle-

Flebilibusq.ſonis (obſederat vltima ſenſus
Anxietas) hæc verba dedit : Spes vnica nati ,
Et columen germane domus, tibi tota meorum
Incumbit fortuna , graui defeſſa ſenecta
Membra exhauſta vides, & longis languida curis:
Corda labant, vox ægra cadit, tenebreſcere cernis
Lumina, & exiguus vixdum ſpiramina nutrit
Spiritus, & nigra ſenſim conuoluor in vmbra .
Quid reſtat? quid adhuc ſupereſt niſi tempore laſsā
Exhalare animam? ſtant ecce in limine portæ
Cymba parata oneri, atq. horrēdæ mortis imago.
Pancratius (nimis ò tenera atq. infantilis ætas !)
Pancratius lux vna mihi , ſpes vna ſenectæ
Deſeritur, patrioq. miſer diuellitur ore :
In te tota ſalus , lacrymis precor aſpice largis
Stillantes oculos atq. in tua lumina fixos
Infantis vultus, genibus, en aſpice, ſupplex
Accidit ; & paruos tua tendit ad ora lacertos :
Per lachrymas germane iſtas, patrioſq. Penates,
Per nomen germani oro, per cana precantis
Tempora, communeſq. ortus, per ſiquid amores
Amborum , ſanctiq. valent pia foedera nodi ,

Per si quid fratrem esse iuuat, per deniq. fratris
Singultantẽ animam, extremaq. in morte labores
Obtestor, cura ista tuis non infima curis
Addatur, carumq. regas germane nepotem
Fraterno affectu: sunt rura patentia nobis
Per campos, scis ipse, Phryges, sunt deniq. pulchro
Diuitiæ in Latio, Tyrrhena vbi murmure grato
Æquora fastosas exceptant Tybridis vndas:
Intactum serues puero quodcunq. meorum
Iudicio committo tuo, sic lumina claudam
Tranquillus, Stygiasq. libens penetrabo paludes.
Sic ait, At contrà vultu germanus amico
Pro re pauca refert, moestisq. ita vocibus infit.
Concordes animi, fratrum concordia semper
Pectora, mente pares, paribusq. per omnia votis
Viximus, & sanctum tot iam per tempora foedus
Intactum seruamus adhuc, rarissima fratrum
Exempla, at nunc (ò falsi pereuntia sæcli
Gaudia!) nunc animæ medium mors inuida nostræ
Natura sic dante, rapit; postq. illa perennis
Pignora amicitiæ, post tot foeliciter annos
Fraterno exactos animo, dulcissime fratrem

Destituam

Destituam frater metuis ? quidnam illa supremis
(Heu doleo !)lamenta malis, quidnam anxia cura,
Et querulis vox mista sonis carissima pulsant
Pectora ? pelle metus, tuus ecce in funere moesto,
Ecce tuus, velut ante fui, tua corde sub imo
Vota meo, tua sollicitus præcepta recondo.
Pelle metus, iterum dextra te supplice frater
Flagito, ni primos mauis geminare dolores.
Mutua quod clamat pietas, quod foedera vitæ
Quodue parens natura docet, mihi credito, fixum
Fixum animo immotūq. sedet, curabo quod optas
Atq. tuam seruabo ista sub imagine vitam.
Respice languentes oculos, en membra liquore
Moesta fluunt, certantq. tuos æquare dolores:
Respice anhelantes vultus, lachrymasq. per istas
Manantes sine fine genas, & cætera prudens
Mente agites, vtinamq. oculos in corda daretur
Condere, fraternasq. intus deprendere curas:
Ne dubita, sum frater adhuc: En pignus amoris
Dextera, perpetuumq. animi certissima fidi
Inditia. Hæc dicens dextram protendit, & imo
Singultus de corde dati verba vltima truncant:

Iamq.

Iamq. labant animi, tenuisq. in corpore virtus;
Pergit in occasum, & lentè trepidantia linquit
Viscera, sic titubans paulũ tamen illa morata est
Fratris ad eloquium, modicumq. est visa renasci.
Stat puer ante thorum decimo nõ grãdior anno,
Et fletu tenera ora rigat, stat cara parentis
Pancratius cura atq. dolor, cum lassa relinquens
Membra senis; vacuas concessit vita sub vmbras.
Tum demum vario resonans tectũ omne tumultu
Moestitiæ noua signa dabat: Stat pectore forti
Frater, & immẽnsum cõdens sub corde dolorem,
Solamen plangentis erat: quippe omnia tandem
Sub leges mors atra vocat, quippe aucta senescũt,
Orta cadunt, longis animum satiauerat annis,
Optabat iam posse mori, quippe vna senectæ
Illa quies, vna annosis solatia membris.

Intereà caro multum inuigilare nepoti
Germaniq. preces vocesq. in morte supremas
Non vanas cecidisse facit. Iamq. arida Cancri
Flamma suos æstus, & noxia lumina campis;
Atq. suas ter bruma niues iterauerat, vnà
Crescentes animos, generis monumenta paterni,

Et

Et tenera tantos miratur in indole ſenſus.
Iam primos mutare locos,& clara per orbem
Moenia Romulidûm, magnæ miracula terræ
Luſtrare, & dudum ſtabiles ibi figere ſedes
Secum agitat; paruum tandem,ſua corda,nepotē
Admonet, & longo quæcunq. accommoda curſu
Apparat: Ægæo Troas contermina ponto
Diuitijs populoq.potens, portuq.frequenti
Nota iacet,vaſtis Troiæ celebrata ruinis:
Hanc adit,& dubijs præbentur carbaſa ventis.
Sãcte puer,quo vela moues?quod tēdis in æquor?
Quas terras, quæ regna petis? i mente ſerena
Inuictoq.animo,laudatæ encomia palmæ
Acceleras,pulchrosq.parat tibi Roma triumphos.
Iã longè Methymna ferax,& Sapphica Lesbos,
Et Scyros latebræ Æacidæ,fallaxq.Caphareus,
Et longè Phæbæa Chios, Iam Tenos,& Andros
Ereptæ ex oculis,pontoq.enata repentè
Delos,& Iſmario Naxos cariſsima Baccho.
Hinc procul exurgit cētum celeberrima quondã
Vrbibus,& falſi lactatrix Creta Tonantis:
Hinc Pelopis regio,Graiûm incunabula Regum

In

In pelagus protensa iacet, iam tuta patescit
Nauplia, & Argolicas surgẽs Epidaurus in vndas.
Hinc Malea aduerso ventorum turbine nautis
Infesta, hinc Veneri gratissima tecta Cythera:
Tænariæ fauces illinc, & prisca Coronæ
Oppida, & Emathio Methone infausta Philippo;
At parte ex alia quamuis per litora florens,
Interiora tamen nigro perfusa veneno
Detegitur Lybia, & viduati flumine campi:
Vritur æthereis tellus exposta fauillis,
Non frutices, non herba virent, non arbor opacas
Sparsa comas, medios infringit frondibus æstus:
Hinc quinas cõplexa vrbes mare prospicit altum
Cyrene, & tectas aduoluit Syrtis arenas.
Iamq· in conspectu summi saxa alta Pelori;
Latrantesq. sinus, ratibusq. inimica Charybdis,
Et modico seiuncta freto Scyllæa notantur
Litora, cùm tumidi sensim spiramina venti,
Et motas mare tollit aquas, cælumq. recondunt
Nubila, & albenti tellus modo visa sub vnda
Tota latet, fugit infaustas iam nauita fauces,
Et Lybiæ propiora legit: manet altera mortis

Laurea, ſpumoſumq. vetat Deus ire ſub æquor.
Iam Leptis, Syrtiſq. minor, diueſq. Lyæo
Surgebat Tácape, & Melite quaſi condita ponto;
Cum venti poſuere minas, alijſq. recluſis
Æolus optatis Auſtros commiſcuit Euris:
Hinc læua de parte ſedet patria inclyta Regis
Sidonij, iacet immenſis ſpectanda ruinis
Carthago terror Latij, iacet ardua moles
Murorum, ſummoq. hærent contermina Cælo
Rudera, & informis longo per litora tractu
Conſpicitur facies, veteris veſtigia pompæ.
Cum tandem Libyco ſpirante valentius Auſtro,
Vltima Trinacriæ raduntur litora terræ,
Et latè ſaxoſa patent, vbi tollit in altum
Vrbs Lilybæa caput magnæ dans nomina rupi.
Hinc Drepani portus, Erycisq. cacumina montis,
Panormumq. vetus, vicinaq. prata iacebant:
Huc ſimul ac nitidos paruus deflexit ocellos,
Subſtitit attonitus, gratuſq. per ima cucurrit
Oſſa ſtupor, vultuq. notans patula arua ſereno
Exultat, totumq. tenent abſcondita pectus
Gaudia; quippe animas ſacro feruore trahentem

Zelantemq. gregis,celſumq. in TVRRIBVS altis
Monſtrantē genus,& ſplendorem ſtemmatis,iſtas
Paſtorem recturum oras,qui ſponte locaret
Templa excelſa ſibi,velata in nube videbat.

Iamq. omni tellure procul Tyrrhena ſecabant
Æquora,& vndiuago fluitabant carbaſa ponto,
Cum tandem longo laſſata per æquora curſu
Romanas arces æquata palatia Cælo
Proſpiciunt,& foelici Tyberina meatu
Oſtia tuta legunt,læti tolluntur in altum
Clamores,feſtiſq. redundat plauſibus æther.

Feruebat ſancto nondum ſaturata cruore
Ingluuies,quocunq. oculos flexiſſe parabant
Vel ſanguis vel corpus erat, dirumq. furebat
Exultans ſæuas Diocletianus ad aras.
Vidit, & obſtupuit tantarum in imagine cædum
Pancratius, iamq. internam præſagia mentem
Prima mouent, tacituſq. animis illabitur ardor,
Et vitæ melioris amor, vix ora tenelli
Singultus, lachrymasq. oculi tenuère calentes:
Hæret in ambiguo, paulumq. in corde moratus
Mētē aperit patruo; Quibus ille,O magna potētis
Chri-

Chriſtigenum ſecreta Dei, calor igneus idem
Iamdudum coquit, & venas penetrauit ad imas.
Talibus inter ſe conceptas pectore flammas
Exagitant, longo cùm tandem calle paratos
Deuenere locos, paruos vbi Cælia colles
Attollit regio, atq. humentes proſpicit Auſtros.
Fortè ſuperborum fugiens crudelia Regum
Iuſſa truceſq. minas, iſtis latitabat in oris
Chriſticolum Pater, & ſanctæ ſpes plurima gẽtis:
Ne ſcia fama tegi ſubitò penetrauit ad aures
Amborũ. Iam tempus adeſt, promptiſsimus inquit
Pancratius, iam tempus adeſt ſecreta Parenti
Pandere conſilia, & ſacratæ accedere turbæ;
Eia age dũ, nõ vana loquor, monita almã Tonãtis
Interiorem animam, & totos in talia ſenſus
Extimulant, diſrumpe moras, dum cõmoda fandi
Tempora, & inuitant animos cæleſtia noſtros
Munera. Sic fatus patruum iam talia ſecum
Voluentem ad pulchros animat feruentior auſus.
Nec mora, conueniunt ad ſancti tecta Parentis,
Inquiruntq. alacres, humileſq. admittier orant,
Cõſpectoq. ſene; En geminas, Pater optime, cæcis

Immersas tenebris animas, en luminis almi
Expertes, ipsaq. poli qua viuimus aura
Indignos, liceat fidei mysteria sacræ
Et leges agnosse pias, & vera Tonantis
Dogmata; perpetuo dignissima dogmata Cælo:
Vrget amor, simul & pietas, spectabilis vrget
Relligio, & sperata salus, en supplice fletu
Voluimur ante pedes, petimusq. in fonte renasci,
Vrimur, ardentiq. calent penetralia flamma.
Talibus orantes, lachrymisq. per ora volutis
Conticuere, alma gaudens cum talia reddit
Maiestate senex: Sacræ purgamina lymphæ
Ne dubitate dari, gremio pia mater aperto
Accipit, & sanctos Ecclesia prompta lacertos
Continuò diducta, pio complectitur ad se.
Vertentes animo, summi nam Rector Olympi
Quem Cælum, tellusq. capax, & pontus, & aer
Factorem agnoscunt, vultu pia corda sereno
Excipit, atq. humiles ignorat spernere fletus,
Excipit, & celsa magno super omnia Cælo
Victores in sede locat; Ille omnia solus
Dirigit, æternùm fuit, æternumq. manebit:
Ille

Ille hominum clemens culpas miseratus iniquas
In terras summa natum demisit ab arce,
Humanos artus Deus vt de Virgine pura
Indueret, poenasq. etiam pro sontibus insons
Penderet: O grandes æternæ mentis amores !
Digna Deo pietas ! agite ò fortissima Christo
Pectora, & æternis iamdudum incensa fauillis
Continuate animos, vera est quà pergitis almæ
Semita iustitiæ, magni porta ardua Olympi.

His dictis casus animos confirmat in omnes,
Edoctosq. satis legis sanctissima veræ
Dogmata, bis decimo demùm post sole sacrato
Fonte lauat, pariter famulorũ immensa sequuntur
Agmina, falsorumq. iuuat figmenta Deorum
Contemni. Vix ipsa pij sua gaudia Patris
Corda ferunt, supero cum fixus lumina Cælo
Talia voce refert: O qui fortissima legis
Fundamenta tuæ contrà aspera tela potentum,
Cõtrà omnes mũdi fremitus, cõtra horrida Regũ
Fulmina, & atrocis nigrantia limina Auerni
Pondere librasti stabili, quam grandia rerum
Omnipotens secreta foues ! mediosq. per æstus

Vndarum,& tumidi ſinuoſa volumina ponti,
E medijs mundi tenebris cultuq. nefando
Ad tua regna vocas! quàm grandis corde ſub imo
Feruor erat! quantus pueri ſplendebat in illa
Fronte decor! quàm pulchra pio reſidebat in ore
Gratia! quàm ſancta radiabant lumina flamma.
Ardent igne tuo, ſuperûm Pater, inclyta firma
Pectora perpetuos dudum ſitientia fontes,
Diuinoq. ſacras nutri ſpiramine mentes.
Creſcat in immenſum vaſti per compita mundi
Gloria Chriſtigenum, creſcant ſanctiſsima legis
Semina, & ingentes pandens per ſæcula ramos
Pondere fixa ſuo, & valido fortiſsima trunco
Perſtet, & æthereas arbor conſurgat in auras:
Vincis, & infernæ monſtra exitialia gentis
Orbe procul, Rex magne, fugas, latiſsima ſancti
Principia Imperij, & cunctas diffuſa per oras
Dogmata, & altorum video diademata Regum
Ante tuos ſpectare pedes, dulciq. potentes
Suppoſuiſſe iugo, & faſtu reſonante ſuperbas
Ceruices flexiſſe tibi: furibunda Tyrannum
Sæuiat in ſanctos rabies, nil impia contrà

Diuinam valet illa manum, Regiſq. tremendi
Fulmina, ſuppoſitum quatientia fulmina mundũ.
Exedat internos animos, ardeſcat in horas
Ira magis, rabidoq. ſitis in corde cruenta
Æſtuet, ingentemq. diu collecta per orbem
Conferat, atq. nouis acuat tormenta piorum
Ingenijs, ſupero venient ſolamina Cælo,
Conteret infauſtos arcus, confringet, & vret
Arma Deus, durum eſt magno certare Tonanti

Finis Libri Prioris.



Vitæ

VITÆ S. PANCRATII MARTYRIS.

Liber Posterior.


VALIA Dictæos Hebri lambentia campos
Flumina, parua prius Rhodopes demissa niuosæ
Rupibus, exiguo perstringunt murmure ripas,
Mox amnes, gelidasq. niues, glaciesq. liquatas
Excipiunt, vndasq.mouent, sparguntq. per agros
Cum sonitu, primoq. negant discurrere lecto,
Tum pomposa sinus latè diffusa superbos,
Ægæos rapido rumpentia gurgite fluctus
In patulum valido spatiantur turbine pontum;
Tales sidereis succensi viscera flammis
Ad Cæli sanctos adytus iam fonte renati
Crescebant virtute pari, non vlla dierum
Lux abijt sine luce noua quæ fulgida coeptis
Incrementa daret, non vnquam roscida bigis
Emi-

Emicuit Aurora suis,Phæbusq. feroces
Exiliens concussit equos,quin sancta duorum
Corda nouis magis atq. magis splendētia formis;
Et flammas videre nouas,retinacula donec
Truncaret sanctæ patrui Parca inuida vitæ,
Et magno sonitu,magna stipante cateruа,
Angelico comitante choro, perrumperet altos
Pancratius mortis scopulos,proprioq. paratus
Sanguine perpetui peruaderet ardua Cæli
Culmina,& egregios vana de sorte triumphos
Duceret. Interea meritos deducere in astra
Mens diuina parans,patruum ad quæcunq.paratū
Læthiferæ febris morbo configit acuto.
Hinc virtus quò pressa magis consurgit in altum
Fortiùs;angores,longosq. immobilis æstus
Sustinet,& lento pereuntes lumine Soles:
Cùm tandem lassæ cernens decrescere vitæ
Relliquias,oculos optata in morte natantes
Attollens ad celsa poli,sic voce precatur.
O cui quodcunq. est Cælo terraq. creatum
Sub pedibus,Rex alte,iacet,quem parcere cunctis
Delectat,calidosq.iuuat non temnere planctus,

Qui media de morte animas,mediũq. per æquor,
E medio Phrygiæ gremio,& caligine cæca
Duxisti incolumes,& sacræ lumine legis
Lustrasti immeritas,tribue exuperare labores,
Et placido da fine frui,paruumq. nepotem
Pancratium tua dextra regat,vastasq. per vndas
Æquoris,& sæuas omni de parte procellas
Deferat in tutum tua summa potentia asylum.
Sic ait,& placido componit lumina vultu,
Et volat in superas Cælorum spiritus auras.
Moerebat sublata viri solatia sancti
Pancratius,solum sese in crescentibus annis
Destitui,non ille tamen iam promptus ad almi
Præmia martyrij,& magnum quid spiritus ardẽs
Defecisse valet: constanti corde dolores
Excipit,& quæcunq. alia ad maiora paratur.
Haud aliter quàm cùm patulis Iouis ales in aruis
Venantum insidijs medio interclusa volatu
Deserit attonitos abrupto in vertice foetus:
Illi autem generis memores ductore remoto
Nondum altos deiecti animos,attollere tentant
Corpora,nec dubijs metuunt se credere pennis,

Nec,modò ſollicito mater quas vngue vehebat
Magnanimi ſolitas dubitant auertere prædas:
Sic animos medio rerum diſcrimine firmans
Pancratius pergebat ouans,cùm pectore forti
Et mores iuuenum,& iuuenum comitantia mores
Vicit,& excelſas quatiens ſuper impia pennas
Conſilia & vitæ illecebras,euaſit in altum
Æthera, & è vaſtis pelagi ſtridentis in auras
Exiliens emerſit aquis. Iamq. impia cunctis
Barbaries graſſata locis in ſanguine iuſto
Ludebat,quantoq. magis fera funera in omni
Creſcebant cumulata foro,tantum ipſa cruoris
Creſcebat ſitis,atque animis feruebat in imis.
Fama volat(neq. enim furtī Chriſti arma gerebat)
Pancratium ſupereſſe neci: Volat ocyor Euro
Turba ferox,famamq. ſuis quaſi curſibus anteit.
Qualia,cum ſubita micuerunt nubila flamma,
Tela triſulca Iouis priùs ac fragor occupet aures
Perſtringunt oculos,celeriq. volumine eodem
Viuida prætereunt prius orta tonitrua Cælo:
Nobilitas excelſa mouet ſpectandaq. ſtirpis
Gloria,Cæſareas iuuenem deducere in arces:

Raptatur sæuis in barbara tecta lacertis,
Non tamen ipse rapi patitur, sed promptior ante
Emicat,& teneris raptantes passibus æquat.
Sicut in optatos dum post iuga tristia pastus
Pergit equus,non æqua valens vestigia mannus
Ferre patri,gressusue pares,magis ipse laborat,
Et passus celeri glomerat pede,& ocyor antè,
Ad latus,huc illuc,omniq. à parte frequenter
Cursitat,& viridi pariter saturatur in herba.
Corde calet præstatq.animis,exultat in ipso
Spiritus, & sacræ gliscunt sub pectore flammæ,
Quæcunq. est mora longa nimis,celeresq. retêrat
Accelerare gradus,properantiaq. agmina lentos
Conqueritur traxisse pedes: cùm regia tandem
Tecta subit,diros aditus, & Cæsare coràm
Sistitur: obstupuit vultu defixus in almo
Cæsar,& Angelico splendentia lumina Sole
Offuscant oculos,& regia frontis imago:
Hæsitat,& tantos in tam iuuenilibus annis
Miratur superesse animos,tam grandia rerum
Pondera,tam duros tenera ceruice labores
Posse pati, tandem blandis ita vocibus infit:

Tune etiam formose puer stultissima sectans
Dogmata, tune etiam infoelix infringere tentas
Imperij pia iussa mei ? metire quod audes,
Et iuuenilem animum nec adhuc ad talia sensus
Compositos, nec adhuc tectas lanugine malas,
Consilijq. inopem paulum metire iuuentam,
Neu sũmũ præsume Iouẽ, & reliquã agmina dem ẽs
Irritare Deum, cernunt mortalia iustis
Sublimi de sede oculis, & vindice dextra
Fulmina missa volant, & quo magis illa morãtur,
Hoc grauius librata cadunt. En aspice dotes
De Cælo tibi collatas, en ipsa decoros
Effinxit Cythereia oculos atq. ora superbis
Inuidiosa Dijs, supremæ culmina formæ
Contulit huc; simul & vires exhausit, & ecce
Diuino tetigit foelicia corpora succo.
En Regina Deum faustæ solatia vitæ
Thesauros largita tibi, & nisi maxima spernis
Munera, prudentes dederat Tritonia sensus.
En magnus Rector Superum, quem sidera adorãt,
Quẽ maria alta tremũt, sũmo qui fulmina Olympo
Imperio minitante iacit, arrisit ad ortus

Parue

Parue tuos, pariterq. omnes foelicia iusſit
Omina,&insolitas vno hoc in pectore dotes
Accumulare Deos,& si mens grata Parenti
Thura dabit,longis promisit viuere sæclis.
Sis formæ decorisue memor,consumere noli
Florem æui,& placidæ præceps truncare senectæ
Tempora,& egregiæ delectamenta iuuentæ:
Neu patrijs infauste puer virtutibus obstes,
Degeneriq. animo clara de stirpe tuorum
Deficias,fuimus fuimus iunctissima quondam
Pectora,& ipse mihi multùm Cledonius arcta
Nexus amicitia,subeunt collata frequenter
Dextera,& exacti votis concordibus anni.
Aspice circumstant regalia tecta cateruæ,
Assistunt acies,tua sunt,tibi regia tota
Seruiet,& primos à me tibi reddet honores
Si mutas animos,en armipotentia Romæ
Robora,victorumq. en tot diademata Regum
Sub pedibus stāt cūcta tuis,sequere optima prudēs
Consilia,& stultam iam sanior exue mentem.
Vibrat in aduersos Romana potentia vibrat
Fulmina dira manu,& crudeli morte trucidat.
Poenarum

Poenarum quicquid ſupereſt,ni perfida flectis
Corda citò,patiêre ſtatim : Quin dulcia vitæ
Commoda,ſublimisq. ampliſsima munera ſortis,
Et faſtus potius lætos,pompaſq. decoras
Eligis, & Superis prudens incenſa ſupremis
Grata offerre paras,& Cælo viuere amico,
Tranquillos habitare lares, & cernere vaſtum
Infrà te poſitum ſummo de culmine mundum ?
Dixerat, At ſancto iamdudum flamine plenus
Perſtitit intrepidus, ſtabiliq. per omnia vultu;
Haud ſecus ac Siculas Ithacus delatus in oras
Arboris adſtrictus trunco , latitantia ponto
Vitauit ſaxa,& viſcoſi murmura cantus
Audijt illaeſus : Pariter fortisſimus almo
Innixus rerum domino,& coniunctus eidem
Pancratius, nil verba nouo plenisſima fuco
Et varijs mellita modis, nil deniq. ſaeuas
Atroci cum voce minas,nil aſpera ferri
Vulnera ; & igniuomas torrentes corpora flāmas
Horruit, & ſancto tales dedit ore loquelas.

Pauca quidē pleno nondum firmata ſub aeuo
Tempora confiteor tibi Rex, ſed ſpiritus alter

Intus alit, grandesq. animos, & fortia firmat
Pectora, & horrenda Regum formidine soluit.
Ille minas, ferrum atq. faces, & spernere duros
Tormenti angores, pulchraq. euadere laude
Et Cælos penetrare docet, quippe inclytus inquit,
Dum statis Regum ante oculos sæuumq. tribunal,
Seu terrere minis, seu delinire parabunt
Blanditijs, falsisq. opibus, seu quicquid acerbum
Tentabunt, nolite ira bacchante moueri,
Neu sanctos tormenta animos, & mortis imago,
Neu mundi læthalis honos fortissima vincant
Robora, neu sæuis quid responsura Tyrannis
Mens agitet, vobiscum adero, responsaq. vestro
Ore dabo, dabo victricem cum laude coronam.
Deniq. quid frustrà in volucres hortamina ventos
Proijcis, infamesq. coli pro numine Diuos
Sæue iubes, quorum famuli si gesta sequantur
Forte tui, meritis exuras corpora flammis?
Egregias de se laudes, insignia facta
Proposuêre suis: Testis Cadmeia virgo
Et Semele, & pluuio Danae delusa sub auro:
Testis in Ægæo Latona enixa profundo,
Testis

Teſtis in Arcadicis virgo Tegeatica ſyluis,
Et Maia,& nitidæ quæ ſumpſerat ora iuuencæ,
Et cycni facies,Satyriq. agreſtis imago,
Et ternæ noctes,& fictæ forma fauillæ,
Magni geſta Iouis. Teſtis Peneia Daphne,
Et Clymene,& patrijs vates non proſpera muris,
Phæbi virtutes. Teſtis natura doloſa,
Auerſiq. boues, aſſuetaq. dextra rapinæ,
Mercurij dotes. Teſtis laſciua. Quid vltrà
Flammanti Cæſar vultu, quid Cæſaris, inquit,
Iram acuis? mediaſq. abrumpit voce loquelas:
Ergone tantorum dominatrix maxima Regum,
Tot ſpolijs induta Ducum, tot fulgida pompis
Roma iaces? tuq. ò Cæſar quem bina tremiſcunt
Sidera, quem dextra venerantur ſupplice gentes,
Quà Cælum quà terra patet, deſpectus ab vno
Vincêris puero? ſceptriq. excelſa ſuperbi
Gloria victa fugis? neſcit temeraria neſcit
Impietas quo corda vehat, quid Cæſaris alti
Iuſſa ferant, quantas magni per climata mundi
Duxerunt ſtrages, quantas traxere ruinas,
Quanto Romanos ſparſerunt ſanguine muros.

 Talibus

Talibus instabat, subitò cùm tristia nosse
Supplicia, & diris comitem se iungere poenis
Iamdudum cupijsse, breuemq; effundere vitam,
Pancratius narrare parans, sic incipit ore,
Sanctorum clades. Et adhuc ora impia soluis?
Cæsar ait, truncate caput cuicunq; potentis
Imperia Ausoniæ, & Romana est gloria cordi.

Vix bene finierat, circùm sacrata volabant
Corpora mille manus, mille ad fera vincula funes.
Haud aliter quàm cùm densis venantia syluis
Agmina sæua canum, ceruum dum detinet vnus,
Vndiq; turba ruunt, capite hic, hic pēdet ab aure,
Saltitat huc illuc rabiens atq; ore cruento
Haurit vtrūq; latus, patulos furit alter in armos.
Ducitur impauidus mediæ per millia turbæ,
Cum sanctis oculis (stringebant vincula palmas)
Sidera suspiciens, placida sic voce precatur:
En qui stellifero pro me delapsus Olympo
Humani quantum generis premereris amore
Monstrasti moriens, florentes offero promptus
Summe Deus, nullis meliores vsibus annos.
Tu qui primæuam rexisti Christe iuuentam,

Et cæcam de morte animam fulgore ſacrato
Traxiſti,& contrà horriſoni ſæuiſſima ponti
Sibila,& immanes omni de parte procellas
Firmaſti,iamq. extremo in certamine pulchra
Martyrij palma,& ſacra vincire corona
Alme paras,vultu placido quam dedico vitam
Accipe,conſtantemq. animũ cõtrà aſpera mortis
Spicula,& indomitos in ferrea vulnera ſenſus
Suppedita, tu ſupremis ſpes vnica rebus.
Intereà Angelicis ad ſe de millibus vnum
Mens æterna vocat,iuuenemq. accedere ſanctum
Imperat,& celeres ferri mandata per auras:
Dic,ait,intrepido procedat in ardua vultu
Martyria, inſanoſq. animo conſtante dolores
Excipiat lætus,cunctis adero ipſe periclis
Cominus,& fortem præſtabo per omnia mentẽ,
Cæli porta pater,ſtant ecce in limine primo
Agmina purpurea,atque immenſi Curia Cæli.
Deniq. quo mage creſcat honos,quo finiet æuum
Poſteritas deuota loco gratiſsima templa
Extruet,& ſanctum fugient periuria buſtum,
Vel nece vel ſubito Satanæ punita furore.

Dixerat. Ille parans celeres per ſidera curſus
Humanam induitur faciem,clarumq. ſerena
Maieſtate nitet, fulget frons candida,& altæ
Sidereus ceruicis honos,tum crinibus aureis
Innectit radios,veſtem plus Sole micantem
Cingitur,& geminas humeris accommodat alas:
Inde per ætherei ſpatioſa volumina Cæli
Fertur ouans,findens nebulas rapidoq. volatu
Præteriens natos ijſdem ſub partibus Euros.
Conſtitit aſpecto iuuene, atq. incredula turbæ
Corda oculoſq. ligans(neq. enim ſpectare dabatur
Siderei ſecreta poli) ſic vocibus infit.
Nuntius has Patris æterni delapſus ad oras
Ad te,ſancte puer,ſupero ſum miſſus Olympo;
Impauido iubet eſſe animo,inſanoſq, dolores
Pectore conſtanti excipere,innatumq. vigorem
Continuare,aderit magnis Deus ipſe periclis
Cominus,& fortem præſtabit in omnia mentem;
Cæli porta patet,iam iam te in limine primo
Agmina purpurea clarùm lucentia palma
Expectant,ſimul ipſa parens caſtiſsima Virgo,
Et Cherubim,& Seraphi atq.immẽſi Curia Cæli.
Deniq.

Deniq. marmoreo faciet reuerentia busto
Insolitusq. accrescat honos, & sancta propago
Ipso quo moriere loco gratissima templa
Extruat, & falsum sacratas quisquis ad aras
Iuraturus eat, cælestia fulmina demens
Sentiat, & scelerata priùs quàm dextera tangat
Interiorem adytum, trepidantibus vndiq. membris
Corruat exanimis, vel dæmona protinus atrum
Sentiat internos agitantem in corpore sensus.
Conticuit, rapidaq. volans super æthera penna
Multa mouentem animo confirmatumq. reliquit
Intrepidum mortis iuuenem: Cum fortè petitos
Deueniunt fera turba locos: Stant plurima vulgi
Agmina densato circumuallantia gyro.
Hæserunt quicunq. hilaris decora alma iuuentæ
Et teneras in fune manus, & eburnea colla
Viderunt læuæ maculanda aspergine cædis,
Iamq. inter sese varia formidine mussant
Intenti, & tacitus subrepserat omnibus horror,
Et lachrymis os omne madet, stant pectore matres
Attonito, paruosq. vetant attendere natos;
Cùm corde immoto atq. oculis in sidera fixis

Colla dedit, promptusq. exerto subdidit ensi:
Ipsa etiam truculenta alias hic dextra ministri
Contremuit, traxitq. moras, candentia tandem
Colla secat: Largi puro de sanguine riui
Exiliũt, gemitusq. nouos, noua in agmine magno
Excutiunt lamenta, nouas in corde querelas:
Dum Cælis anima, & sanctis amplexibus almi
Excipitur sponsi, supremáq. arce locatur.
Octauilla potens opibus claróq. relucens
Sanguine, corpus habet, tumuloq. attẽta recõdens
Marmoreo, Assyrij donum superaddit amomi.
Gaude, & perpetuo foelix per sæcula Cælo
Æternum fruere, & duros perpesse labores
Exulta, & mundi falsa de sorte triumpha:
Gaude iterum, tuus ecce polo terraq. nouatur,
Et maior succrescit honos, En ardua surgunt
Templa tibi, & celsas murorum machina nubes
Excrescens æquare parat, parat inclyta virtus
Atq. ingens LVDOVICI animus delubra triumphis
Responsura tuis, æui monumenta futuri:
Admotas en mille manus, en vertice summo
Sub-

Subſidunt montes,iuſſuq. potente vehuntur
In valles,vt plana tuas patefiat ad aras
Semita lata pijs,largos en vndiq. pandit
Theſauros generoſa manus, en regia virtus
Emicat,immenſumq. volat vulgata per orbem.
Hic eſt Sicanias quem dum veherêre per oras,
Sancte puer,poſt tot venturum ſæcula, ſacros
Reſtaurantem adytus,ſpirantemq. alta parentum
Stēmata,cūq. ſuis,quas geſtat, TVRRIBVS arces
Scanſurum æthereas, præſaga mente videbas.

Finis Libri Poſterioris.

Pag. 9. vers. 9. Lybia. & vers. 22. Lybiæ. Lege Libya, & Libyæ.
Pag. 16. 29. & 31. adytus, & adytum. lege aditus, & aditum.

Pag. 2. Dirimit, leg. ſeparet.

